LXXI-URBS CONSTANTINOPOLIS

ACTA DIVRNA

URBS NOVA

Laeti nuntiamus urbem novam hoc ipso mense a.d.v.Id.Mai. circensibus et pompis sollemnibus dedicatam esse.

Abhinc annos quattuor Dominus noster Constantinus, iussu Dei, hanc urbem condere constituit. Tribus ante annis bellum cum Licinio gerebat, atque dum Byzantium obsidet castra in colle urbano posuit. Itaque, post quam Licinium funditus superavit, sedem suam hic ponere constituit ut victoriae monumento esset.

CAPUT NOVUM

Tunc, Deo ducente, lanceam tenens et pedibus progressus, ambitum urbis circumscripsit. Nunc haec urbs caput novum erit. Nam inter Asiam et Europam, inter Pontum Euxinum et Mare Nostrum, inter orientalia et occidentalia stat. Hinc igitur cum omnibus orbis Romani partibus facile communicare possumus.

MOENIA NOVA


Constantinus noster, cum oppidum vetus amplificare vellet, ut sede regia dignum esset, murum novum a Cornu Aureo ad Propontidem duxit, ex quo factum est ut nunc et arte et natura urbs optime munita sit.

DOMUS NOVAE

Constantinus noster, cum cives optimos ad urbem novam elicere vellet, domus novas amicis et comitibus attribuit. Hi igitur et Roma et Mediolano et ex aliis urbibus ad urbem novam confluunt.

CIVES NOVI

Civibus novis Constantinus noster ius Italicum iam dedit; frumento ex Aegypto collecto panem et circenses quoque dabit.



DIES NATALIS



VIVAT INFANS!

ROMA NOVA

Sicut Roma, urbs nova in terra aprica et regione amoenissima sita est. Septem colles habet, qui cum perflantur ipsi tum adferunt umbram vallibus. Mare quo commeatus accipiantur opportunum est. Adest portus capax cui nomen Cornu Aureum datum est.

Sicut Roma, urbs nova in xiii vel xiiii regiones dividetur. Ambitus enim amplius decem milia passuum erit atque amplius tria milia iugerum continebit.

Sicut Romae, concilium patrum senatus vocabitur.

Sicut Romae, aderunt arcus triumphales, fora splendidissima, templa ornatissima, palatia ingentia, cloacae maximae, balneae pulcherrimae.

Oppida et Graeciae et Asiae spoliata sunt ut urbem novam ornent. In Foro Maximo est columna cxx pedes alta, statua Apollinis coronata. Arcus triumphales ad utrumque fori exitum stant, per quos ad porticum Severi et ad oppidum vetus itur. In Circo Maximo (qui quadringentos passus longus, centum passus latus esse dicitur) erit illa columna torta post proelium Plataeeum constituta, una cum illo tripode aureo. Balneae Zeuxippi statuis marmoreis et aeneis ita ornatae sunt ut pulcherrimae orbis terrarum sint. Ipsius Domini nostri Palatium haud multo minus quam Romae erit.

NUMEN NOVUM

Urbs nova erit prima urbs Christiana. Ceteri dei nusquam in hac urbe publice colentur. Vetera urbis templa non nisi ut monumenta publica conservabuntur.

POETA NOSTER

AD NOS DE TEMPORIBUS SUIS SCRIBIT

ADSIT OMEN

Vides ut omnis se reparet novis
Natura rebus: flos Aquilonibus
Tactus pruinosis colorem
Vere novo pariet recentem.

Phoenix favillis, cum perit, e suis
Semper renasci dicitur, haud secus
Troiana flagrantes ruinas
Fugit ad Hesperiam iuventus

Ut surgerent mox altera Pergama et
Alter Scamander consilio Iovis,
Romaeque in aeternum maneret
Imperium Capitoliumque.

Princeps, ut illis Dardanidis vicem
Fatisque tot post saecula debitam
Persolvat, Eois decorum
Constituit populis honorem

Byzantio qui ferre dedit suum
Nomen secundum; quo, precor, omine
Confisa constantem deorum
Stet nova Roma ferens favorem.

C. VERBERO.

NOMEN NOVUM

Urbs nova (cui nomen coloniae datum est) olim Byzantium appellabatur. A Constantino ipso Nova Roma appellatur. At apud nos Constantinopolis appellabitur.

FLOREAT CONSTANTINOPOLIS!


VETERA ET NOVA

Conturbabantur Constantinopolitani
Innumerabilibus sollicitudinibus.
Poeta Incertissimus.

Byzantium abhinc mille fere annos conditum est, ab incolis Megarae quorum dux erat Byzas. Apollinis iussu contra 'oppidum caecorum' (id est Chalcedon) situm est.

Suo quisque tempore **Pausanias, Alcibiades, Lysander, Thrasybulus** oppidum ceperunt. Et rex **Philippus** et **Septimius Severus** id obsederunt. Nunc **Constantinus** noster urbem novam consecravit.

© Hanc editionem pro Societate Orbiliana impressit *Kenion Press Ltd., 284 High Street, Slough, Bucks.*, distribuerunt *Centaur Books Ltd., 284 High Street, Slough, Bucks.*, a quibus exemplaria petenda sunt. Hac re excepta, omnes epistulae mittantur ad editorem, *D. W. Blandford, Trinity School, Shirley Park, Croydon, Surrey* (CR9 7AT). *Acta Diurna* mensibus Februario, Maio, Octobri in lucem proferuntur.



AB URBE CONDITA
—et id genus omne

XXVIII—IUGURTHA
vel
Ex Africa semper aliquid mali

UBI Micipsa, rex Numidarum, Iugurtham—qui tum parvus puer erat—adoptavit et cum filiis suis Hiempsale et Adherbale educavit, nescivit se velut Anguem in Herba fovere. Sed res ita se habebat. Nam cum Micipsa mortuus esset et Hiempsal rex factus esset, Iugurtha et Hiempsalem et Adherbalem foede necavit. Fortasse hoc magni momenti non erat, quod omnes bene sciunt Numidas nihil aliud adeo amare atque amicos necessariosque foede necare. Est quidem mos antiquus Africanus.

Sed Iugurtha Magnum Erratum fecit. Non solum amicos suos necessariosque foede necavit, sed etiam tabernarios non nullos Italicos qui in oppido Cirta habitabant.

Romae, in senatu

SENATOR QUIDAM. Audio Iugurtham regem Numidarum fratremque eius nuper foede necavisse.

SENATOR ALTER. Illud nullius momenti est. In Africa talia semper accidunt.

S.Q. Audio eum tabernarios quoque non nullos Italicos foede necavisse.

S.A. Mehercule! Edepol! Mecastor! Bestiam in eum statim mittere nos oportet.

Itaque senatus L. Calpurnium Bestiam cum exercitu ad Numidiam misit. Sed Iugurtha (qui putabat se Romanos bene novisse) 'Hi Romani' inquit 'sunt natio tabernariorum.' Et Bestiae facile persuasit, multo auro dato, ut Romam re infecta rediret. Quo facto senatores, animo admodum confusi, Iugurtham ad cenam invitaverunt ut rem explicaret. Etsi tamen Romam venit, cum tribunus quidam plebis, homo stupidissimus, eum loqui vetuisset, rem numquam explicavit. Sed, postquam necessarium quendam Romae habitantem foede necavit, domum regressus 'Roma' inquit 'est urbs venalis, si quis eam emere vellet! Ipse tribunum plebis senatoresque non nullos emi; si satis pecuniae mecum habuissem, totam rem publicam emissem.'

SPURIUS SPRETUS

Tum senatus A. Spurium Albinum cum exercitu ad Numidiam misit; et ubi is quoque re infecta rediit, senatus iratus imperatorem alium, nomine Q. Metellum, Iugurtham e Numidia expellere iussit. Itaque Metellus (quem Iugurtha casu non emerat) Iugurtham e Numidia expulit; nec tamen eum capere potuit, quia ad socerum suum Bocchum confugit.

IUGURTHA IUGULATUS

Cum hoc in statu res esset C. Marius, homo rudis et incultus, qui Metelli legatus erat, Romam equo incitato* regressus est ut consulatum peteret. Et cum populus Romanus homines rudes incultosque magnopere amaret, eum consulem fecerunt. Quo facto se statim imperatorem creavit et ad Africam cum L. Sulla profectus, 'Per Bacchum!' inquit, 'hunc bucconem Bocchum mox debellabimus.'

Et res ita se habebat. Brevi enim Bocchus, pace petita, L. Sullae 'Iugurtha' inquit 'est homo venalis, si quis eum emere vult.' Itaque Sulla Iugurtham emit et secum transportavit Romam; ubi in Tullianum coniectus diligenter iugulatus est. Sic pereant omnes fratricidae!

Lector. Et quid Boccho accidit?

Ego. Nihil Boccho accidit. Laetus postea semper vixit.

*Et, cum equus nare non posset, nave quoque incitata!

CARMEN CAELESTE



Sol radiis
Fulgens suis
Splendore fit aeterno.
Sceptrum tenet,
Cur hoc neget?
'Mendaces' aiat 'sperno!'
Huic nec pudor
Neque est rubor;
Non veniam implorat,
Sed trux, audens,
Auro nitens,
Iubar suum adorat.

Regina sim terris,
Ut hic caeli—
Est nobis nota vis,
Mi et soli!

En! huic heram
Mollem deam
Honore tam caelesti!
In facie
Nil monstrat se
Pudoris vel modesti.
Dat lumen, dum
Nox fit, nothum,
Ad se cunctis praebendam;
Ut sim verax
Est tanta fax
Ut hanc non reprehendam.

Nil nobis, ne erres,
Modestiae.
Est mentis acies
Mi et lunae!

DIDYMUS.

DE MORTUIS



AUGUR

Et prius hic augur casu descendit ad umbras;
Cum spectaret aves in puteum cecidit.

C. VERBERO.

DE SACRIS NOSTRIS



CEREALIA

NOLI MIDAS ESSE
CEREALIBUS TUIS FRUERE

Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite: nunc pulli velleris usus abest.
Ovidius.


LINGUA NOSTRA

Fortasse tu qui haec legis Gallicus es, vel Germanus, vel Italicus, vel Hispanus. Omnes tamen, cum lingua Latina uti sciamus, inter nos facile de multis rebus communicare possumus.

Multi discipuli Britannici epistulas ab discipulis aliarum gentium accipere et ad eos rescribere cupiunt. Si tu ista scientia linguae Latinae hoc modo uti vis, quin ad notarium nostrum* scribis? Ille libentissime hoc curabit.

*Mr. R. L. Heald, M.A., Selhurst Grammar School, Croydon. (CR9 2LX)

OMNIA GENERA HOMINUM DEPICTA



CAUPO

Fessa, viatores, ad nostram ferte tabernam
Membra: quies est hic somniferumque merum.
Ecce corymbiferi dulcissima dona Lyaei
Expellent curas laetitiamque dabunt.
Pocula fumosi, iuvenes, haurite Falerni.
Vivite nunc; stultos crastina cura decet.

STENUS.

ACTA DIURNA

Haec editio septuagensima prima, quae de Urbe Constantini disserit, Februario mense anno Domini nostri MCMLXX ab Societate Orbiliana in lucem prolata est.

PROVERBIUM HODIERNUM



Ne fugiens respexeris.

ALTERA ROMA



Urbem Romam abhinc amplius mille annos conditam omnes orbis terrarum gentes semper venerabuntur: illic enim nata est gens nostra; illa in urbe regnabat is qui primus ab senatu populoque Romano Augustus est appellatus. Post quam autem ab divo Diocletiano imperium in duas partes divisum est, alter Augustus Mediolani, alter in orientali parte finium nostrorum Nicomediae regnavit. Nunc tandem dominus noster clarissimus Constantinus hostibus devictis imperium Romanum in unum reduxit. Qua in urbe sedem haberet? Quia nullum in veteribus regionibus imperii iamdiu pacatis periculum verebatur, ad Orientem potius spectavit. Potuit sine dubio urbem antiquam Troiam eligere, cuius ab oris profectus gentis Romanae conditor ad Italiam Iovis missu venit; maluit in extremis confiniis Europae domicilium invenire, unde armis coerceret illos barbaros infestos qui inter Istrum Tanaimque flumina habitant, unde Persas praecipue semper bellum nobis inferre paratos deterreret, unde populos etiam ignotos sub imperium populi Romani subiungeret. Urbem elegit Byzantium; quae urbs haud multo post quam Roma ipsa condita est, in loco ad ostium Ponti maris ab deo Delphico indicato, qui Chalcedones in adverso litore habitare volentes caecos appellasse fertur; illa urbs a Persis olim capta, a Lacedaemoniis postea, deinde ab Atheniensibus occupata, omnibus est notissima; ubi maiores nostri in Graecia contra Philippi filium Persea bellum gerebant, cives Byzantii socii fuerunt populi Romani. Urbs clarissima vel clarior iam fiet; nova Roma a multis appellata est; digna est autem quae novum nomen a victore Constantino sumat, qui ultimum hostem Licinium Byzantii superavit. Nominetur Constantinopolis.

VERBA QUADRATA

Infra scripta invenies vestigia verborum quadratorum. Si haec verba recte coniectare potes, et praemium accipere cupis, solutionem tuam ad editorem ante Kalendas Apriles mitte, una cum verbis tuis (quorum primum erit Nauta) eodem modo quadratis. Huius unius verbi vestigium scribe, sed curent seniores ut hexameter sit. Eis qui haec optime fecisse adiudicati erunt praemia dabuntur.

Vestigia

i. Is rate Peliaca vectus turbavit Ionas.
ii. Hic, tibi cum tenet ara caput bovis, utar aratro.
iii. Quid fieri possit talis? Saltus dare gaudet.
iv. Nonne iacens in agro Biturigum morte videtur?
v. Adversus Boreae ventus praeclarus habetur.

Aenigmatis Proximi Solutio

M E L A S
E R I C E
L I N U M
A C U T E
S E M E N

Praemia meruerunt: F. Barber (*Finchley*) et J. C. Holtzer (*Breda*).
Laudandi erant: C. V. Merrett (*Cheltenham*), D. N. Glover (*Ulverston*), G. H. Malkie (*Bexhill*) inter seniores, et E. Eboo (*Vinehall Sch., Robertsbridge*), P. J. Gray (*Sevenoaks Sch.*) inter iuniores.

LUCIUS.

LECTOR!



Si aenigma solvere potes,
si iocum narrare potes,
si quid tibi placet,
si quid tibi displicet,
quin ad editorem scribis?
Fortasse tu quoque praemium accipies.

DE PAUPERTATE

Lectores nostri haec *De Paupertate* scripta ad nos miserunt:

Magnum pauperies opprobrium. *Horatius.*

Magnis virtutibus obstat/Res angusta domi. *Iuvenalis.*

Pauperis est numerare pecus. *Ovidius.*

Nil habet infelix paupertas durius in se
Quam quod ridiculos homines facit. *Iuvenalis.*

Pauper eris semper, si pauper es, Aemiliane;
Dantur opes nullis nunc nisi divitibus. *Martialis.*

Pauper sum, fateor, patior; quod di dant fero. *Plautus.*

Pauper enim non est cui rerum suppetit usus. *Horatius.*

Causa paupertatis plerisque probitas est. *Q. Curtius.*

Bonae mentis soror est paupertas. *Petronius.*

O vitae tuta facultas/Pauperis! *Lucanus.*

Nunc lectores nostros rogamus ut non nulla DE DIVITIIS scripta ad nos mittant.

IPSE DIXIT

POPPAEDIUS NAUTA RURSUS



Amicus: Cur, comes care, cum celeritate curris?
Poppaedius: Centauri cunctos celerrime confugere cogunt!
Amicus: Cupisne calces cavere?
Poppaedius: Cupio Caecubum conservare!

DE ARGONAUTIS



TALOS

Dum Iason et Argonautae cum illa pelle cara (et illa puella carissima) domum navigant, multa pericula invenerunt. In insula Creta homo ex aere factus (cui nomen erat Talos) oram custodiebat. Cum advenas adpropinquantes viderat, calidissimus factus eos amplexu torrebat. Argonautae igitur, quamquam non torrebantur certe terrebantur. At Medea, arte magica usa, callide obturamentum ex pede monstri extraxit. Quo facto omne aes effluxit et monstrum e vita excessit.

AENIGMA DIFFICILLIMUM

'Mentis inops, Chloe'


Est ****** Chloe, procero corpore virgo.
Gnosidis hanc ****** vincere nulla potest.
At pueros moneo—vos hanc ****** puellam;
Stultitiae est tantae; ****** magna latent.
Huic suadere nequis, ****** stolida usque loquendi,
Seria dementem nonne ****** decet?
Ut surdos sanent 'Aures ****** !' monebat,
'Hoc ****** voci lenius unguit iter.'
Illa '****** novas uvas!' cultoribus inquit,
'Chium utinam ne sic semper ******!' ait.
Sim monitor pueris ****** tutamen Hiberae;
Ipsi vos aliter mente ****** bona!

DIDYMUS.

Lector, verba quae desunt restitue. Omnia easdem sex litteras, sed mutato ordine, habent. Praemium dabimus.

DIDYMUS.

Aenigmatis Proximi Solutio



Orbilii corona Universitatem Oxonii festa invisebat. Dum cursus fit, Orbilius sui oblivionem, Latii auctorum, deplorabat. 'Cui comparo,' ut praeco, 'Oxonium,' rogavit, 'lingua Latina maligne privatum? Infertili fico? An, ut Horatium imitemur, 'Inutile lignum'? Sine artibus est Oxonium vacuum. Num, si vacuo credimus folli, Cannis pugnabimus?'

Iamque ante Aedificium Artium Novum stabant. 'Vobis, mei pulli, Collegium,' inquit, 'Novum monstro.' (Nam errabat.) 'Ecce, hic habitabat Praeses quidam cui Cocleatori nomen indiderunt. Nam quaesentem olim virginem num cocleari medicus uteretur, ita certiorem fati sui filiam fecit. Vix cocleare putatori haeresium profuturum. 'Immo,' inquit, 'sum rerum divinarum doctor. Nam mihi puero impubi, tiro et imperitus Aesculapii filius medicamentum atri generis, ut e cocleari biberem, dedit. Me horrescentem cum videret, ratus se me pecunia solaturum, "opperire: as," iussit, "tibi dabitur." Sed confusus ego, nullo morae obice interposito, statim totum cocleare ipsum cum medicina devoravi. Me miserum! Quid faceret? Nam ligulis aliisque fixis, cocleare exire noluit. Heu! Exinde sonos et syllabas verborum semper mutavi' ***********

'Heus!' clamavit Orbilius. 'Quo fugitis?' Nemini enim disserebat. Nam dulcedinum gelidarum venditor apparuerat. Tum os cuiusque pueri globo suavi augetur. Orbilius autem minans—'Poenas dabis,' inquit, 'puerorum fisce: glacies multa te deminuet. Nam quid dicit Horatius noster? "Impune, Lolli, carpere" non poteritis.'

DIDYMUS.

CAVE KALENDAS
SOLUTIONES
OMNIUM AENIGMATUM
AD EDITOREM MITTANTUR
ANTE KALENDAS APRILES

PAGINA QUARTA

DE NUMMIS

VIRTUS FELICITAS SPES

Rogatus quos e nobilissimi Domini Constantini Caesaris Augusti nummis potissimum inlustrare deberemus, vir inlustrissimus Comes Sacrorum Largitionum hos sex elegit:

I. Ubi Constantinus devicto Maxentio onus imperii sustinuit, in eius victoria Senatus more maiorum VOTA in XV annos multiplicavit: inde pax leges iura restituta sunt.

I



II



II. Ad hoc temporis summa fuerat auri inopia, nulla pecuniae fides: adeo ut, sicut antiquitus maiores nostri aere gravi utebantur, mercatores folles nummorum plenos, ad certum pondus examinatos, inter se traderent. Constantinus autem auro e templis falsorum deorum ablato SOLIDISque solido auro percussis fiduciam et felicitatem restituit. In hoc solido ipse cum filiis conspicitur dum annonas proletariis distribuit.

III



IV



III. Pax cum Augusti consiliis tum fidei et virtuti exercituum debetur. Milites iam aucto stipendio contenti imperium non, ut antea, seditionibus distrahunt sed tuentur. Aeneus hic nummus: puer castris urbanis impositus indicat spem iuventutis in castris, exercituum in prole constare.

IV. Cum vero exercitus non iam in limite imperii sed in urbibus locantur, praestat equitum mobilitas: post quam hic sesquisolidus signatus est, iuvenes nostri certatim equis exerceri cupiunt: sic non deest copia cataphractorum quibus barbarorum gentes arceantur.

V



VI




V. His diebus condita est Nova Roma: hic aeneus inter primos Constantinopoli percussus duo imperii capita, gemina libertatis columina omnibus gentibus nuntiabit, dum per omnia maria vehitur Victoria, geminas coronas gestans.

VI. Ut in imperio, sic in Ecclesia Constantinus pacem confirmavit. Confusis tandem Donati discipulis, convocato Nicaeam concilio, constituta Christianorum concordia, erigitur ubique Labarum, vincitur perfidus draco, spes publica posita est in Christo.

Actorum notarius largitionalis.

AENIGMA VERBALE—LXXI



Vestigia—Transversa

i. Sanum timent confuse—dum servos liberat?
viii. A! sermo molles sensus confundit.
x. Dicit sacramentum.
xiii. Hoc quot annis accidit.
xv. Quamquam breve, tamen non parum est.
xvi. Num egrediar? E contrario!
xvii. Portae fortasse—vel portus.
xviii. Reverti turbate: adsunt Belgae quidam.
xxi. Vadis (ut eas quae mihi sunt invenias?).
xxiii. Gradum facere.
xxiv. Morbum depello (ei qui integer est?).
xxvii. Tamne antiquus quam Tarquinius?
xxx. Ex apris laceratis exstant venabula.
xxxii. Loqueris—sed perraro!
xxxiii. Nolite manere.
xxxiv. Tribus cruribus praeditus (nec potest ambulare!).
xxxv. Procedunt volucres, redit femina Italica.
xxxvi. Feliciter, fortunate.
xxxvii. Clades sunt (et ecce patris soror in medio!).

Vestigia—Erecta

i. Amari turbate regna Neptuni.
ii. Inimicine more? E contrario!
iii. Vasa in versibus inveniuntur Naevii.
iv. Est quod possideo.
v. Remotis permotis, metus adsunt.
vi. Si quem haec agitat, latrat!
vii. Filii sunt.
ix. Fortasse gravia sunt, et portantur.
xi. Arbitrati (maiore parte amissa!)
xii. Remitto committove.
xiv. Fecundior est ubi erro confuse.
xix. Sex trimi turbati—uni cuique viro.
xx. Impone pedem, et incipe.
xxi. Volucris parvula casum turbat.
xxii. Contempta.
xxv. Corporis partes quae loquentibus praebentur.
xxvi. Tres tristes sorores.
xxviii. Pauca collapsa urbem Campanam faciunt.
xxix. Nummi aerei.
xxxi. Follis et tela longa.
xxxii. '. . . iustitia, ruat caelum.' (*Hor.*)

Si praemium accipere vis, solutionem tuam—*una cum novis vestigiis verborum i (trans.) et xxxvii*—ad editorem mitte ante Kalendas Apriles. Tria praemia dabuntur eis qui et aenigma recte solverint et optima vestigia finxisse adiudicati erunt.

Aenigmatis Proximi Solutio

Trans: i. Turpis, v. Damnum, ix. Cautae, x. Molle, xi. Supplementum, xii. Stat, xiv. Ventilo, xv. Utile, xvi. Insana, xvii. Onerosa, xix. Nemo, xxii. Ossa, xxiii. Peccavi, xxviii. Cetera, xxix. Ovare, xxxii. Augeris, xxxiii. Sera, xxxiv. Transmittere, xxxv. Ianua, xxxvi. Undeni, xxxvii. Sensus, xxxviii. Aptant.


Erect: i. Testudo, ii. Rapti, iii. Pupa, iv. Saevio, v. Demens, vi. Montana, vii. Ulula, viii. Memor, ix. Custos, x. Mensa, xiii. Ter, xviii. Eatenus, xx. Mirari, xxi. Onerent, xxiii. Persa, xxiv. Erimus, xxv. Casina, xxvi. Cos, xxvii. Satis, xxviii. Curae, xxx. Vetet, xxxi. Arena.

Praemia meruerunt: i. P. John (*Falmouth*), ii. Ruth Marshall (*Folkestone Girls' G.S.*), iii. R. M. Cleminson (*Manchester G.S.*).

Laudandi erant: C. Reed (*Monkwearmouth G.S.*), J. Barry (*Sevenoaks Sch.*), T. Weaver (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

ACTA MINORA

MARINA CELATA



Potesne ea reperire?

Supra positas videbis non nullas picturas quibus pictor noster duodecim marina depinxit, eodem modo quo ACIPENSER his picturis celatus est:



Si haec duodecim marina reperire potes, et praemium accipere cupis, solutionem tuam ad editorem ante Kalendas Apriles mitte, una cum duobus aliis marinis eodem modo celatis. Tria praemia dabuntur eis qui haec optime fecisse adiudicati erunt. **Necesse est te minus xvi annos natum (vel natam) esse.**

Aenigmatis Proximi Solutio

Proelia erant: Issus, Zela, Granicus, Cirta, Ilipa, Baecula, Capua, Telamon, Asculum, Regillus, Cannae, Actium.

Praemia meruerunt: i. R. Jewell (*Handcross Park, Horsham*), ii. Marie-Paule Schilling (*Rémelfing, France*), iii. P. B. Key (*Dulwich Coll.*).

Laudandi erant: Philippa Court (*Folkestone G.S.*), Anne Hennin (*Notre Dame H.S., St. Helens*), E. Dravers (*Vinehall Sch., Robertsbridge*), J. N. H. Morris (*Holmwood Sch., Formby*), P. A. Miller (*Wolstanton G.S.*).



PALLOPOLUS NOSTER

Olim Pallopolus et Dexius in taberna sedebant (ubi vestimenta deis et heroibus vendebant). In magna tabella 'TUNICAE BONAE ET PULCHRAE' et 'PALLAE MAGNAE ET SPLENDIDAE' scribebant. Subito intravit emptor quidam quem statim agnoscunt.

Membra Pallopoli tremuerunt. Vox eius paene in faucibus haesit. 'N-num est . . .?' dicere coepit. 'Ubi est sella? Pulverem a sella deterge, Dexi. Festina. O, quantum gaudium: Dexi, celeriter, eum roga . . .'

Dum Pallopolus haec verba balbutit, Dexius sine mora ad pedes eius se proiecit; nasus humum ipsam tetigit.

Emptor 'Salve, Pallopole!' inquit. 'Salve, Dexi! Pallam peto splendidissimam meae filiae pulcherrimae. Cras enim certamen dearum in monte Ida erit in quo illa pomum aureum, praemium formae, accipere vult. Huc veni quod nullas pallas meliores esse quam Pallopoli et Dexii saepe audivi. Habesne unam auro ornatam?'

Animus Pallopolum paene reliquit; tantum enim erat gaudium. Tandem 'Quandam habemus,' respondit 'non solum auro ornatam sed argento . . .'

Dexius 'Et gemmis et floribus.'

Adnuit emptor. Sine mora Pallopolus et Dexius in interiorem partem tabernae festinaverunt et pallam quandam, quae ceteris multo pulchrior erat, quaerere coeperunt.

Dum oculos cum mentibus in pallis figunt, subito vocem deae iratae audiverunt quae 'Quid facis?' exclamat. 'Num pallam isti filiae pulcherrimae emis? Nam ego quoque pomum aureum in certamine dearum cras petam. Nonne igitur ego palla pulcherrima digna sum? Cur ei semper pares? Cur me semper spernis? Illa enim maiorem potestatem habet quam ego. Num hoc aequum est?'

Pallopolus attonitus est. 'Num quis,' inquit, 'emptorem tam insignem vexare audet? Eheu, quid faciam? Rixae enim in mea taberna numquam mihi placent.'

Dexius autem ad rimam quandam festinavit deamque inspexit. 'Noli te perturbare,' inquit 'O Pallopole. Uxor eius est, quae eum semper castigat, semper culpat.'

Dum haec dicit, vocem emptoris audiverunt qui 'Quamquam et uxor mea es,' inquit 'et soror, non tamen omnia mea consilia scire tibi licet. Tibi quoque pallae pulchrae et fuerunt et erunt.' His verbis dictis, in interiorem partem tabernae ad Pallopolum et Dexium processit. Illi iterum se proiecerunt; nasi eorum iterum humum ipsam tetigerunt. Ubi suspexerunt, emptor, ut fumus vel aura, iam discesserat.

Tum demum lacrimae in genas Pallopoli ceciderunt. Dicere non potuit; tantum enim erat gaudium. Sed Dexius, ad tabellam progressus, verba quaedam detergere coepit. Mox non 'Tunicae bonae et pulchrae' et 'Pallae magnae et splendidae' sed 'TUNICAE OPTIMAE ET PULCHERRIMAE' et 'PALLAE MAXIMAE ET SPLENDIDISSIMAE' scripta erant.

Quis fuit advena? Si haeres, paginam sextam vide

LECTORUM IOCA

Omnes ei lectores quorum ioca in lucem proferimus praemia accipiunt. Quin tu iocum tuum ad editorem mittis?

Nasus Punicus



'Sunt qui dicant nos Romanos nasos magnos habere, sed specta Hannibalem!'

Helen Blount (*Redland H.S., Bristol*).


In Arena



'Si cibum ei dederimus, putasne eum discessurun esse?'

D. Peplow (*Redland H.S., Bristol*).


Amans Amens



'Negat se sine Fulvia abiturum esse!'

R. S. Moore (*Wolstanton G.S.*).

Onus Magnum



'Eheu! Ut fere fit, Hannibal elephantos conduxit qui aquam non amant!'

R. Marcus (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

In Arena



Leo Prior: Quid sentis?
Leo alter: Neminem propter colorem pellis damno. Festinemus!

B. P. Higson (*Sevenoaks Sch.*).


AVARUS ET MUS



Murem Asclepiades, ubi vidit in aedibus, auri
Ille tenax, 'Quid agis, muscule dulcis?' ait.
Advena fatur ad haec, subridens dulce 'Sodalis,
Pone metum; sedem non alimenta peto.'

STENUS.

AENIGMA VERBALE FACILIUS



Vestigia—Transversa

i. Hic omnia vincit—et cado.
iv. Dearum arbiter, Helenaeque amator.
vii. Hinc illuc fert (fortasse ad alteram ripam).
ix. Noli hic manere!
x. Decreveratis—et sit ars tua confusa!
xii. (*duo verba*) Haud difficile loqui.
xvi. Litus reversum findo.
xvii. (*duo verba*) Hi pravi socii corrumpunt.
xviii. Grues turbati sunt! Exorire!
xix. Partes vehiculi quae viam tangunt.

Vestigia—Erecta

i. xvi reversum, mari lavatur.
ii. Laeta est.
iii. (*duo verba—interdum*) Non regna, sed civitates.
iv. Retrone imus? E contrario!
v. Torta distorta torquet.
vi. Non nimium est.
viii. Discessit; at ibi turbatur.
xi. Capitis operculum orientale.
xii. Inopia cibi.
xiii. Viriditas fortasse, ruborve.
xiv. Tacti turbati sunt; in iudicium vocat.
xv. Animalia ferocia in caelo videntur.

Si minus xvi annos natus (vel nata) es, et praemium accipere vis, solutionem tuam—*una cum novo vestigio verbi iii* (*erect.*)—ad editorem mitte ante Kalendas Apriles. Tria praemia dabuntur eis qui et aenigma recte solverint et novum vestigium optime finxisse adiudicati erunt.

Aenigmatis Proximi Solutio

Trans: i. Punire, v. Mille, viii. Alia, ix. Romani, x. Rivus, xii. Agmina, xiii. Urna, xvi. Aetas, xviii. Suave, xx. Ramus, xxiii. Pigrior, xxvii. Musa, xxviii. Iactus, xxx. Reget, xxxi. Petivi, xxxii. Uter, xxxiii. Asses, xxxiv. Socius.

Erect: i. Portus, ii. Nomina, iii. Rana, iv. Elige, v. Maria, vi. Lavat, vii. Ensis, xi. Ineram, xiv. Ruri, xv. Avarac, xvii. Avus, xix. Tot, xxi. Muniti, xxii. Sanius, xxiii. Porta, xxiv. Gigas, xxv. Ictus, xxvi. Rupes, xxix. Sero.

Praemia meruerunt: i. P. R. F. Harland (*St. Peter's Sch., York*), ii. Elizabeth Manson (*Waid Acad., Anstruther*), iii. T. Rider (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

Inter multos laudandos maxime laudandi erant: R. Kilpatrick (*The Hill Sch., Westerham*), J. Sanders (*The Pilgrims' Sch., Winchester*), M. Bishop (*Handcross Park, Horsham*), R. de Malausserie (*Marseille*), R. Purdy (*Taverham Hall Sch., Norwich*), C. J. Palmer (*Holmwood Sch., Formby*), C. Reed (*Monkwearmouth G.S., Sunderland*), B. de C. Kilgallin (*St. Bede's Coll., Manchester*).

SOLUTIO
PALLOPOLUS NOSTER

(*paginam quintam vide*)

Advena fuit Iuppiter, et eius uxor Iuno.

CORRIGENDUM

EDITIO LXX—PAGINA ULTIMA
RHINOCEROS—VERSUS SEXTUS

Errore quodam Didymus noster scripsit 'Impatiens rhinoceros Stat tegimen intacta'.

Scribere debuit 'Impatiens rhinoceros Stat—cutis huic intacta!'

Veniam ab lectoribus petit.

Errare est Humanum



Centurio: Stulte! Ille fenestras lavit!

T. Fitzsimmons (*The Hill Sch., Westerham*).

Aquae Potores



'Eheu! Nisi aquam brevi reppererimus, flores mei mortui erunt.'

Kate O'Leary (*Redland H.S., Bristol*).

ACTA MINIMA
LECTORUM IOCA MINIMA

Omnes ei lectores quorum ioca in lucem proferimus praemia accipiunt. Quin tu iocum tuum ad editorem mittis?

Quid Nomini Inest?



'Ego matrem eius culpo. Eum Narcissum nominavit!'

J. P. R. Nash (*Vinehall Sch., Robertsbridge*).

Aenigmatis Proximi Solutio

Monstra erant: Pistrix, Argus, Fama, Echidna, Pegasus, Cacus.

Praemia meruerunt: i. A. Gibbon (*Holmwood Sch., Formby*), ii. J. Greenwood (*Handcross Park, Horsham*), iii. H. S. Simon (*Dulwich Coll.*).


Laudandi erant: S. Dixon (*Vinehall Sch., Robertsbridge*), J. Meakin (*Packwood Haugh, Shrewsbury*), R. Cross (*Sevenoaks*).

LUDI CELATI
Potesne eos reperire?

Infra positas videbis non nullas picturas quibus pictor noster sex ludos celavit, eodem modo quo PUPA hac pictura celata est:



Si hos sex ludos reperire potes, et praemium accipere cupis, solutionem tuam ad editorem ante Kalendas Apriles mitte, una cum uno alio ludo eodem modo celato vel **pictura tua depicto.** Tria praemia dabuntur eis qui haec optime fecisse adiudicati erunt. **Necesse est te minus xiv annos natum (vel natam) esse.**



GLOSSARIUM

Accido: *happen.*
Accipio: *receive.*
Acipenser: *sturgeon.*
Adiudico: *judge.*
Admodum: *very.*
Adnuo: *nod approval.*
Advena: *stranger.*
Aeneus: *brazen.*
Aenigma: *puzzle.*
Aequus: *fair.*
Aes: *bronze.*
Agnosco: *recognise.*
Albus: *white.*
Alimentum: *food.*
Alveus: *trough.*
Ambitus: *circuit.*
Amens: *mad.*
Amitto: *lose.*
Amoenus: *beautiful.*
Amplexus: *embrace.*
Amplifico: *enlarge.*
Amplius: *more.*
Anguis: *snake.*
Angustus: *narrow.*
Annona: *corn supply.*
Antiquitus: *of old.*
Appareo: *appear.*
Apricus: *sunny.*
Aquilo: *north wind.*
Arbiter: *judge.*
Arceo: *keep off.*
Arcus: *arch.*
Attonitus: *astonished.*
Audeo: *dare.*
Augeo: *increase.*
Augur: *fortune-teller.*
Aura: *breeze.*
Aureus: *golden.*

Balbutio: *stammer.*
Balneum: *bath.*
Benignus: *kind.*
Bucco: *fool.*

Caecubum: *Caecuban wine.*
Calidus: *hot.*
Callidus: *shrewd.*
Calx: *heel.*
Cano: *sing.*
Capax: *large.*
Carus: *dear.*
Castigo: *reprove.*
Casu: *by chance.*
Cataphractus: *armoured soldier.*
Caupo: *innkeeper.*
Caveo: *beware.*
Celo: *hide.*
Cena: *dinner.*
Certamen: *contest.*
Certatim: *in rivalry.*
Cibus: *food.*
Circenses: *circus games.*
Cloaca: *drain.*
Cogo: *compel.*
Colo: *worship.*
Columen: *column.*
Commeatus: *supplies.*
Condo: *found.*
Confido: *trust.*
Confluo: *pour.*
Confugio: *flee for refuge.*
Confundo: *confuse.*
Conicio: *hurl.*
Conservo: *save.*
Constans: *stable.*
Consto: *consist.*
Conturbo: *disturb.*
Coorior: *arise.*
Corono: *crown.*
Corymbifer: *ivy-bearing.*
Crastinus: *of tomorrow.*
Culpo: *blame.*
Cunctus: *all.*
Curo: *attend to.*

Debello: *war down.*
Decerno: *decide.*
Decet: *it befits.*
Decorus: *fitting.*
Demum: *at last.*
Depingo: *depict.*
Detergeo: *wipe.*
Devinco: *defeat.*
Diffugio: *scatter.*
Discedo: *go away.*
Displiceo: *displease.*
Dissero: *discuss.*
Distraho: *tear apart.*
Divitiae: *riches.*
Draco: *dragon.*
Durus: *harsh.*

Ecclesia: *church.*
Effluo: *flow out.*
Effugio: *escape.*
Elicio: *entice.*
Emo: *buy.*
Emptor: *buyer.*
Erigo: *raise.*
Erro: *err.*
Examino: *weigh.*
Excidium: *destruction.*
Excito: *raise.*
Exemplar: *copy.*
Exerceo: *train.*
Explico: *explain.*
Extraho: *drag out.*

Falernum: *Falernian wine.*
Fatum: *fate.*
Fauces: *throat.*
Favilla: *ash.*
Favor: *support.*
Fecundus: *fertile.*
Felicitas: *good luck.*
Fenestra: *window.*
Festino: *hurry.*
Fides: *trust.*
Fiducia: *confidence.*
Figo: *fix.*
Findo: *cleave.*
Fingo: *make up.*
Flagro: *blaze.*
Floreo: *flourish.*
Flos: *flower.*
Foede: *foully.*
Follis: *ball; purse.*
Forma: *beauty.*
Formosus: *handsome.*
Fortasse: *perhaps.*
Foveo: *nourish.*
Fumosus: *smoky.*
Funditus: *completely.*

Gaudium: *joy.*
Geminus: *twin.*
Gemma: *jewel.*
Gena: *cheek.*
Genus: *kind.*
Gesto: *wear.*

Haereo: *stick.*
Haurio: *drink up.*
Herba: *grass.*
Hodiernus: *of today.*
Humus: *ground.*

Imprimo: *print.*
Incito: *spur on.*
Incultus: *uncultivated.*
Infectus: *unaccomplished.*
Inlustro: *illustrate.*
Inopia: *shortage.*
Insignis: *distinguished.*
Iocus: *joke.*
Iratus: *angry.*
Iter: *journey.*
Iudicium: *court.*
Iugerum: *Roman acre.*
Iugulo: *strangle.*
Ius: *right.*
Iuventus: *youth.*
Iuvo: *help.*

Labarum: *standard.*
Lacrima: *tear.*
Lancea: *lance.*
Largitio: *largess.*
Latro: *bark.*
Lavo: *wash.*
Lector: *reader.*
Libenter: *willingly.*
Libero: *free.*
Licet: *one may.*
Limes: *frontier.*
Litus: *shore.*
Loco: *station.*
Ludus: *game.*

Marinus: *of the sea.*
Marmoreus: *of marble.*
Membrum: *limb.*
Mereo: *earn.*
Mobilitas: *mobility.*
Momentum: *importance.*
Monstrum: *monster.*
Monumentum: *memorial.*
Mora: *delay.*
Mos: *custom.*
Mus: *mouse.*
Musculus: *little mouse.*

Nasus: *nose.*
Natalis: *of birth.*
Nato: *swim.*
Naufragium: *shipwreck.*
Necessarius: *relative.*
Nimium: *too much.*
Nomino: *name.*
Notarius: *reporter.*
Numen: *deity.*
Nummus: *coin.*
Nuper: *recently.*
Nusquam: *nowhere.*

Obsto: *obstruct.*
Obturamentum: *stopper.*
Occidens: *west.*
Operculum: *covering.*
Oportet: *one ought.*
Opportunus: *suitable.*
Opprobrium: *disgrace.*
Oriens: *east.*

Palatium: *palace.*
Palla: *cloak.*
Pareo: *obey.*
Pario: *produce.*
Parum: *too little.*
Patior: *suffer.*
Pauper: *poor.*
Pauperies: *poverty.*
Paupertas: *poverty.*
Pecus: *herd.*
Pellis: *skin.*
Percutio: *strike.*
Perfidus: *treacherous.*
Perflo: *blow through.*
Perraro: *very rarely.*
Persolvo: *pay.*
Perturbo: *disturb.*
Pictor: *artist.*
Pila: *ball.*
Placeo: *please.*
Poculum: *cup.*
Pompa: *procession.*
Pomum: *apple.*
Pondus: *weight.*
Potestas: *power.*
Potissimum: *most preferably*
Potor: *drinker.*
Praebeo: *offer.*
Praeditus: *endowed.*
Praemium: *reward.*
Praesto: *stand out.*
Pravus: *wicked.*
Probitas: *honesty.*
Profero: *bring forth.*
Proicio: *hurl.*
Proles: *offspring.*
Proletarius: *proletarian.*
Pruinosus: *hoary.*
Pullus: *dark.*
Pulvis: *dust.*
Pupa: *doll.*
Puteus: *well.*

Quadro: *square.*
Quaero: *look for.*
Quin: *why not?*

Ratis: *raft; boat.*
Regia: *palace.*
Renascor: *am born again.*
Reparo: *repair.*
Reperio: *find.*
Rescribo: *write back.*
Restituo: *restore.*
Retro: *backwards.*
Rima: *crack.*
Rixa: *argument.*
Rubor: *redness.*
Rudis: *uncultivated.*

Sacramentum: *oath.*
Saeculum: *century.*
Scientia: *knowledge.*
Scribo: *write.*
Secundus: *favourable.*
Secus: *otherwise.*
Sedes: *seat.*
Seditio: *mutiny.*
Sella: *seat.*
Sequor: *follow.*
Sesquisolidus: *1½ solidi.*
Signo: *stamp (money).*
Sodalis: *comrade.*
Solidus: *gold coin.*
Somnifer: *sleep-bringing.*
Sperno: *despise.*
Spolio: *plunder.*
Stipendium: *pay.*
Stultus: *foolish.*
Subito: *suddenly.*
Subrideo: *smile.*
Sumo: *choose.*
Suppeto: *last out.*
Surgo: *rise.*
Suspicio: *look up.*
Sustineo: *sustain.*


Tabella: *board.*
Taberna: *shop.*
Tabernarius: *shopkeeper.*
Tango: *touch.*
Tenax: *tenacious.*
Torqueo: *twist.*
Torreo: *roast.*
Tremo: *tremble.*
Trimus: *of 3 years.*
Tripos: *tripod.*
Tueor: *maintain.*
Turbo: *disturb.*

Usus: *need.*

Veho: *carry.*
Vellus: *fleece.*
Venabulum: *hunting spear.*
Venalis: *for sale.*
Vendo: *sell.*
Vestigium: *clue.*
Vestimenta: *clothes.*
Vestis: *clothing.*
Vexo: *distress.*
Viator: *traveller.*
Vicis: *change.*
Vicus: *village.*
Viriditas: *greenness.*

ILLA RES TROIANA

ITINERA ULIXIS



BESTIAE FABULOSAE—XVII


S—SUS

'MINERVAM DOCET' — *Proverbium*

i. 'Quid cassis vult, Minerva?
Quid ensis acies?
Quid militum caterva?
Dic—quando sapies?'

ii. 'Dis caede madent arae;
Harae caeno madent.
Divaene sic praeclarae?
Suesne sic hebent?'

iii. 'Vix invidendam puto
Quae sic timet Iovem.
Volens voluto luto,
Dum despicis suem.'



iv. 'Nes bene, docta telas
Scientiae cui plus?
At grunnit 'Cur te velas?
Securus, nudus sus.'

v. 'Ut artibus te mandes
Laeto cibo cares:
Quam me delectant glandes!
Minerva, nihil es!'

vi. 'Tu immortalis forte
Das semper odium;
Sus tandem praebet morte
Esori gaudium.'

vii. 'Putasne rem protervam
Cum sus deam docet?
Quin culpas tu Minervam
Si nihil hinc discet?'

DIDYMUS.